

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Caput II. De Ministro Sacrificii Missæ, & de dispositionibus ad illud requisitis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

*De Sacrificio Missæ. Cap. II. 229*

Ministri, sed eorum successores in officio Sacerdotali, quod pari autoritate administrabant qua prædecessores: at in lege Evangelica, Christus solus est principalis Sacerdos, qui semper actu offert Sacrificium ubicumque offeratur; & qui Sacerdotum nomen, & munus habent, non sunt Christi successores, neque illud exercent proprio nomine, neque eadem cum Christo autoritate, sed solum *Pro Christo legatione funguntur*; ut ait Apostolus I. ad Corinth. cap. I.

Et ut ait Divus Thomas: *Sacerdos consecrat hoc Sacramentum, non virtute propria, sed sicut Minister Christi in cuius persona consecrat hoc Sacrificium.* Denique Concilium Florentinum in Decreto Unionis. *Sacerdos in persona Christi loquens, hoc Mysterium conficit.*

---

**C A P U T II.**

*De Ministro Sacrificii Missæ, & de Dispositionibus ad illud requisitis.*

Quæst. I. **Q** UIS NAM est Minister Sacrificii Missæ?

Resp. Sacerdos solus est Minister legitimus Sacrificii Corporis, & sanguinis Christi Domini, quod in Altari offertur, ut patet ex variis Ecclesiæ Conciliis Nicæno, in quo legitur:

*Pervenit ad sanctum Concilium, quod in locis Conc. Nicæ quibusdam & civitatibus, Presbyteris Sacra- num. Can. 14 menta Diaconi porrigan: hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi Sacrificii potestatem non habent, his, qui offerunt Corpus Christi, porrigan. Ex quo patet, quod Diaconi, qui primi sunt Ministri*

## 230 TRACTATUS V.

post Presbyteros in Ecclesia, non habent potestatem offerendi Sacrificium.

Cone. Trid.  
scil. 22. De  
Sacrif. Missæ.  
Can. 2.

Et Concilium Tridentinum ait: *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliqui Sacerdotes offerrent Corpus & sanguinem suum, anathema sit.*

S. Cypria.  
Epist. 63.

*S. Cyprianus ait: Nam si Jesus-Christus Dominus & Deus noster, ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & seipsum primus Sacrificium Patri obiulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit; utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur.*

Ex quo patet, solum Sacerdotem esse legitimum Ministrum Sacrificii Missæ, quod Dominus noster Jesus-Christus instituit præcipiendo Sacerdotibus, ut illud offerrent in sui memoriam.

*Ques. 2. Omnes Christiani debent-ne offerre Sacrificium Deo?*

*Resp. Cùm duplex sit Sacrificium, interius scilicet, & exterius: certum est quod Sacrificium interius, quod in integra & universalí oblatione quam Deo exhibemus in cordibus nostris consistit, non solum offerri debet à Sacerdotibus, sed etiam ab omnibus fidelibus, qui quantum in ipsis est profitentur hoc modo supremum creatoris dominium. At Sacrificium Religionis exterius, quod peragitur ad solemniter repræsentandum Sacrificium internum, perfectamque erga Deum subjectionem, quodque nihil aliud est, quam Missæ Sacrificium, non debet, neque potest visibiliter & externo ministerio offerri, nisi à Ministris ad id specialiter deputatis. Debent quidem omnes Christiani corde, & voluntate cum Sacerdote uni-*

*De Sacrificio Missæ. Cap. II. 232*

& unā cum illo interiūs, & modo invisibili eamdem offerre victimam, quam externo riu Sacerdos Deo offert; quare Sacerdos ante consecrationem conuersus ad Fideles, ipsos admonet his verbis: *Orate Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile sit apud Deum Patrem omnipotentem:* Et, ut ait S. Petrus Damiani in opusculo de Dominus vobis-  
cum. cap. 8. *A cunctis Fidelibus, non solum viris, sed mulieribus Sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno specialiter offerri Sacerdote videatur.* Et in hoc sensu S. Augustinus Missam vocat *Sacrificium Christianorum.*

S. Aug. lib.  
10. De Civit.  
Dei. cap. 6.

Et summus Pontifex Innocentius III. Non solum offerunt, inquit, Sacerdotes, sed & universi Fideles. Nam quod specialiter adimpletur Ministerio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto Fidelium. Et hac de causa Fideles omnes dicuntur Sacerdotes in multis locis Scripturæ. In Apocalypsi cap. 1. *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo.* Et I. Petri. cap. 2. *Ipsi tanquam lapides vivi super adificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales Hostias acceptabiles Deo per Iesum-Christum.* Unde videmus, quod Sacro-sanctum Missæ Sacrificium offeratur ab omnibus Fidelibus modo spirituali & invisibili; sed illud idem Sacrificium impletur exteriūs à solis Sacerdotibus qui vices Christi gerunt, cujus sunt Ministri visibles, qui consecrant super Altare illam divinam Hostiam per verba quæ præscripsit illis Dominus Jesus-Christus, & illud offerunt solemniter Patri æterno propriis manibus.

Quæst. 3. Sacerdos degradatus potest ne validè Sacrificium Missæ offerre?

Resp. Certum est posse, quia, ut ait Divus

Innocent. III.  
De Myst. Mis.  
Æ. lib. 3. c. 6.

## 232 TRACTATUS V.

D. Tho. 2. Thomas: *Potestas consecrandi Eucharistiam*,  
 p. q. 8. pertinet ad characterem Sacerdotalis ordinis:  
 art. 8. character autem quilibet, quia cum quadam  
 "consecratione datur, indelebilis est; sicut &  
 "quarumcumque rerum consecrationes perpe-  
 "tuæ sunt, nec amitti, nec reiterari possunt.  
 "Unde manifestum est, quod potestas conse-  
 "candi non amittitur per degradationem; &  
 "sic patet, quod Sacerdos degradatus potest  
 "confidere hoc Sacramentum. Quod tamen non  
 potest sine gravi peccato.

Quæst. 4. Sacerdos qui patitur morbum  
 comitiale, seu caducum, debet-ne cele-  
 brare Missam?

S. Tho. 3. *Resp.* Divus Thomas sic respondet: *Dicen-*  
*p. q. 8.* dum quod debilitas vel ægritudo superveniens  
*att. 10. ad 3.* Ordini Sacerdotali, ordinem non tollit: execu-  
 tionem tamen Ordinis impedit quantum ad  
 consecrationem Eucharistiae. Quandoque qui-  
 dem propter impossibilitatem executionis, si  
 privetur oculis, aut digitis, aut usu linguae.  
 Quandoque autem propter periculum, sicut  
 patet de eo qui patitur morbum caducum, vel  
 etiam quamcumque alienationem mentis.  
 Quare Alexander II. relatus in Can. consultus  
 à Gebonardo Vivariensi Archiepiscopo, utrum  
 Presbyter posset Missarum solemnia celebrare  
 qui morbum patiebatur caducum: *Consuli-*  
*vis. 7. q. 2.* *mus*, inquit, *ut si frequenter hoc morbo tan-*  
*gitur à Missarum celebratione modis omnibus*  
*prohibeatur: indecens enim est & pericolosum;*  
*ut in consecratione Eucharistiae morbo victus*  
*epileptico cadat.*

Quæst. 5. Quid agendum est cum Sacerdos  
 moritur ante vel post consecrationem, aut  
 propter aliquam infirmitatem nequit Hostiam  
 consummare?

*Resp.* His incommodis occurrit Ecclesia in:

*De Sacrificio Missæ. Cap. II. 233*

Rubricis Missalis de defectibus accident. dum  
ait: *Si Sacerdos ante consecrationem graviter* <sup>“</sup>  
*infirmitetur, vel in syncopen inciderit, aut mo-* <sup>“</sup>  
*riatur, prætermittitur Missa: si post conse-* <sup>“</sup>  
*crationem Corporis tantum, ante consecra-* <sup>“</sup>  
*tionem sanguinis, vel utroque consecrato, id* <sup>“</sup>  
*accidit, Missa per alium Sacerdotem explea-* <sup>“</sup>  
*tur ab eo loco, ubi ille desit, & in casu ne-* <sup>“</sup>  
*cessitatis, etiam per non jejunum.* <sup>“</sup>

Quod etiam determinatum fuit in Concilio  
Toletano relato in Can. *Nihil. 7. q. 1.*

*Quæst. 6.* Sacerdos, qui consecrat Sacra-  
mentum Eucharistiæ, tenetur ne Sacramen-  
tum percipere?

*Resp.* Certum est teneri, ut definitum fuit  
in Concilio Toletano relato in Can. in quo sic  
habetur: *Quotiescumque sacrificans Corpus &* <sup>“</sup> *Can. Relat.*  
*sanguinem Jesu-Christi Domini nostri in Alta-* <sup>“</sup> *tum. De*  
*rio immolat, toties perceptionis Corporis, &* <sup>“</sup> *Consecr.*  
*sanguinis Christi, participem se præbeat.* <sup>“</sup> *dist. 2.*

*Quæst. 7.* Quomodo se gerere debet Sa-  
cerdos cùm ante vel post consecrationem re-  
cordatur se aliquid manducasse, aut bibisse,  
vel esse in peccato mortali, imò aliqua vinclum  
excommunicatione, quarum rerum non me-  
minerat priusquam Missam inciperet?

*Resp. Dicendum*, ait Divus Thomas, *quod* <sup>“</sup> *S. Th. 3. p. 1.*  
*nbi difficultas occurrit, semper est accipien-* <sup>“</sup> *q. 83. art.*  
*dum illud quod habet minus de periculo: ma-* <sup>“</sup> *6. ad 2.*  
*ximè autem periculum circa hoc Sacramen-* <sup>“</sup>  
*tum est, quod est contra perfectionem hujus* <sup>“</sup>  
*Sacramento, quia hoc est immane sacrilegium,* <sup>“</sup>  
*minus autem est illud quod pertinet ad quali-* <sup>“</sup>  
*tatem sumentis. Et ideo si Sacerdos recorda-* <sup>“</sup>  
*tur se aliquid comedisse, vel bibisse, nihil-* <sup>“</sup>  
*minus debet perficere Sacrificium, & sumere* <sup>“</sup>  
*Sacramentum: similiter si recordetur se pecca-* <sup>“</sup>  
*tum aliquid commisisse; debet poeniteire cum* <sup>“</sup>

» proposito confitendi & satisfaciendi. Et sic non  
 » indignè , sed fructuosè sumet Sacramentum.  
 » Et eadem ratio est , si meminerit se excom-  
 » municationi cuicunque subjacere ; debet enim  
 » assumere cum proposito humiliter absolutio-  
 » nem petendi ; & sic per invisibilem Pontificem  
 » Jesum-Christum absolutionem consequetur,  
 » quantum ad hunc actum , quòd peragat divina  
 » Mysteria. Si verò ante consecrationem alicu-  
 » jus prædictorum sit memor , tutius reputarem  
 » ( maximè in casu manducationis & excommu-  
 » nicationis ) quòd Missam inceptam deterereret,  
 » nisi grave scandalum timeretur.

Ex hac Divi Thomæ doctrina , sequitur.  
 Primò , quod si Sacerdos per errorem , aut in-  
 cogitantiam aquam non vinum in Calicem se  
 infudisse & consecrassè in ipsa communione,  
 etiam post aquæ sumptionem , deprehenderit,  
 tenetur vinum cum aqua , ut fieri solet in Ca-  
 licem infundere , & incipiendo ab hisce Cano-  
 nis verbis : *Simili modo , &c. consecrare* , &  
 licet non jejunus b'bere : quia consecratio vini  
 pertinet ad Sacrificii consummationem & inte-  
 gritatem , quæ quidem cùm ad jus divinum  
 pertineat , legi Ecclesiasticæ , quâ jejunium  
 naturale Sacerdotibus & Laïcis communican-  
 tibus indicitur , præponderat.

Præterea potest Sacerdos non jejunus sumere  
 Eucharistiam , si id debita Sacramento rever-  
 rentia postulet. Si , v. g. prospiciat , Hostias  
 in Tabernaculo inclusas ab Infidelibus , aut  
 Hereticis , aut à Militibus conculcandas esse ;  
 eas omnes , quas aliter ab imminentibus con-  
 tumeliis præservare non potest , etiam fracto  
 naturæ jejunio , sumere poterit.

*Quæst.* 8. Potest-ne Sacerdos absque pec-  
 cato abstinere omnino à celebratione Missæ ?

*Resp.* Non potest , quia , ut ait Divus Tho-

*De Sacrificio Missæ. Cap. II. 235*

mas; *Vnusquisque tenetur uti gratia sibi data,* *cc S. Th. 3. q. 82. art. 10.*  
cūm fuerit opportunum, secundūm illud 2. ad  
*Corinth. 6. Hortamus ne in vacuum gratiam* *cc*  
*Dei recipias. Opportunitas autem Sacrifi-* *cc*  
*cium offerendi, non solūm attenditur per* *cc*  
*comparationem ad Fideles Christi, quibus* *cc*  
*oportet Sacraenta ministrari; sed principali-* *cc*  
*ter per comparationem ad Deum cui conse-* *cc*  
*cratione hujus Sacramenti Sacrificium offer-* *cc*  
*tur. Unde Sacerdoti, etiamsi non habeat cu-* *cc*  
*ram animarum, non licet omniō à celebra-* *cc*  
*tione cessare.* *cc*

*Quare Concilium Tridentinum ait: Curet* *cc Sess. 23. de*  
*Episcopus, ut Sacerdotes saltem diebus Domini-* *cc Ref. c. 14.*  
*cis, & Festis solemnibus: Si autem curam ha-* *cc*  
*buerint animarum, tam frequenter ut suo mu-* *cc*  
*neri satisfaciant, Missas celebrent.* *cc*

*Et Divus Carolus, fidelissimus Concilii Tri-*  
*dentini obſervator, ait: Tridentini etiam* *Autor. p. 1.*  
*Concilii authoritatem fecuti, præcipimus Sa-* *cc de frequē-*  
*cerdotibus, cuiuscumque gradus, conditionis* *cc ti divini*  
*& dignitatis illi sint, ut Dominicis & reliquis* *cc Sacrificii*  
*Festis diebus, Missam celebrare non omittant:* *cc oblatæ*  
*Curatis verò ut præterea ter in hebdomada,* *cc*  
*aut eò etiam sapientius quò vel loci consuetudo,* *cc*  
*vel necessitas crebriorem divini Sacrificii usum* *cc*  
*postulabit.* *cc*

*Quæſt. 9. Cūm Sacerdotes in ordinatione*  
*proferunt unā cum Episcopo verba consecra-*  
*tionis, consecrant-ne omnes, an solus Epis-*  
*copus?*

*Resp. Innocentius III. hanc difficultatem*  
*clarè explicat his verbis: Cūm interdum uni* *cc Innoc. III.*  
*Pontifici multi Sacerdotes concelebrent, si* *lib. 4. de*  
*foris non omnes simul consecratoria verba* *cc Myst. Mis-*  
*pronuntiant: Quæritur an ille solus conficiet,* *cc cap. 25.*  
*qui primus pronuntiat; quid ergo cæteri fa-* *cc*  
*ciant? an iterant Sacramentum? Poterit ergo* *cc*

„contingere, quod ille non conficit, qui cele-  
„brat principaliter, & ille conficit qui secun-  
„dariò celebravit: & sic pia celebrantis intentio,  
„vel devotio frustrabitur. Sane dici & reponeri  
„probabiliter potest, quod sive prius sive poste-  
„rius proferant Sacerdotes, referri debet eorum  
„intentio ad instans prolationis Episcopi cui  
concelebrant.

S.Th. in 4 „ Idem affirmat Divus Thomas: *Dicendum,*  
sent. dist. „ *quod sicut Innocentius dicit, omnes*  
13. art. 2. „ *inquit, celebrantes debent intentionem referre ad illud*  
in respons. „ *ad 2. q. instans in quo Episcopus verba profert. Et sic*  
“ *Episcopi intentio non defraudatur, nec aliquis*  
“ *ibi facit quod factum est.*

Quæst. 10. Quomodo se præparare debent  
Sacerdotes ad sacrum Missæ Sacrificium cele-  
brandum?

Resp. Sancti Patres id nobis luculenter in-  
nuunt, & exemplo suo nos docuerunt. Et primò,  
S.Chrysost., „ S. Chrysostomus. *Quantam verò, inquit, ab*  
De Sacerd. „ *eo integritatem exigemus? quantam religio-*  
lib. 6. c. 3. „ *nem? Considera enim quales manus hæc ad-*  
“ *ministrantis esse oporteat; quam lingua*  
“ *quæ verba illa effundat; qua deinde re non pu-*  
“ *riorem sanctioremye esse conveniat animam,*  
“ *quæ tantum illum tamque dignum Spiritum*  
“ *recepit? Per id tempus & Angeli Sacerdoti*  
“ *adstant, & cœlestium potestatum universus*  
“ *ordo clamores excitat; & locus Altaris vici-*  
“ *nus, in illius honorem qui immolatur, Ange-*  
“ *lorum choris plenus est: id quod credere*  
“ *abunde licet, vel ex tanto illo Sacrificio, quod*  
“ *tunc peragitur.*

Petrus Ble- Et Petrus B'esenfis ait: *Verbum Prophetæ*  
ſensis. De Vi- *est mundani qui fertis vasa Domini. Quan-*  
ra & moribus *tò mundiores esse oportet, qui in manibus, &*  
Clericorum, *in corpore portant Christum, quibus Apostolus*  
& Epistola *dicit: Empti estis pretio magno, glorificate*  
ad Richard

*De Sacrificio Missæ. Cap. II. 237*

& portate Christum in corpore vestro. *Sacerdotum Episcopum.* ]  
dotem hoc sentire oportet, quod & in Christo <sup>123.</sup>  
Iesu, non solum, ut se per humilitatem exci-  
naniat, sed ut crucifixionem Domini repra-  
sentans stigmata ejus portet in corpore suo, &  
in ore cordis seipsum Domino crucifigat. Ver-  
bum Salomonis est, Sedisti ad mensam divi-  
tis, scito quia eadem te præparare oportet.  
Nam & in Levitico Sacerdos pellem Hostię  
retinet, quia ordo Sacerdotalis expostulat, ut  
dum in mensa Altaris Hostiam immolat salu-  
tarem, quadam contritionis Cruce, Hostia se  
conformet. Humanè explicare non potest,  
cum quanta reverentia suscipi debet Corpus  
Christi.

Tandem S. Dionysius convictus de sanctitate  
necessaria ad illud divinum Sacrificium offe-  
rendum ait: *Eos qui ad Sacra menta cælestia* <sup>cc S. Dionys.</sup>  
*conficienda accedunt, eâ oportet esse mundi-* <sup>Eccl. Hie-</sup>  
*tiâ, ut ipsas quoque animæ extremas imagi-* <sup>cc rarch, c. 3.</sup>  
*nies purgatas habeant: ideo his demùm tam* <sup>cc</sup>  
*augusta patere Mysteria, qui ad divini, ac* <sup>cc</sup>  
*Deifici habitus immobilitatem vimque actuo-* <sup>cc</sup>  
*sam pervenere, qui soli Deo unicè adhærent,* <sup>cc</sup>  
*quique omnino irreprehensibiles sint atque im-* <sup>cc</sup>  
*maculati.*

Sancti Patres passim de his præparationibus  
disertè, & fortiter loquuntur; & valdè deflen-  
da est crassa aliquorum Sacerdotum negligen-  
tia, qui nullo modo se ad tantum Sacrificium  
celebrandum dignè disponere student. *Curis* <sup>s. Cardinalis</sup>  
*secularibus indifferenter inseruiunt, ait sanctus* <sup>Petr. Damia-</sup>  
*Cardinalis Petrus Damiani, ab otiosis se ser-* <sup>ni. Opusc. 6.</sup>  
*monis ineptiis non compescunt: imò per lites,* <sup>Contra insit.</sup>  
*& iurgia frequenter à proximerum suorum* <sup>& Ignavi. Cler-</sup>  
*charitate resiliunt; & cum livoris vel cuius-  
libet terrena concupiscentia flammas in suis* <sup>ric. cap. 13.</sup>  
*pectoribus fervere non nesciunt, venerandis*

238 T R A C T A T U S V.

tamen Altaribus impudenter ingerunt, & ab offerendi Sacro-sancti libaminis Ministerio non recedunt.

S. Bonav. „ Proba te ipsum , ait Divus Bonaventura , ex lib. De Præ-  
parat. ad „ quanta charitate , & quali fervore accedis:  
Missam.c. 5. „ non solum enim mortalia vitanda sunt , sed etiam venialia peccata per negligentiam , &  
„ otium multiplicara , & etiam per inconsidera-  
„ tionem ac per distractionem dissolutæ vitæ &  
„ malæ consuetudinis , licet non occidant ani-  
„ mam , tamen reddunt hominem tepidum , gra-  
„ vem , & obnubilatum , & indispositum , &  
„ ineptum ad celebrandum.

Sed in primis Sacerdotes ante celebrationem scrutari convenit , utrum vitam sancto statui conformem ducent ? utrum à vitiis & desideriis sacerdotalibus abhorteant ? utrum castitatem studiosè illæsam servent ? utrum in Ecclesia Dei , juxta talentum à Deo sibi creditum , fideliter operentur ; ut enim ait Divus Bernard. Bernardus : Regnum Dei non dabitur otiosis , De Mod. bene sed in servitio Dei studiosis . Quod si illorum vivendi.Serm. conscientia illis non remordet , oportet ut per actus humilitatis & Sacrificii interioris seipso ad celebrandum sanctum Missæ Sacrificium disponant , quasi victimæ.

Quæst. II. Quænam consideratio videtur efficacior ad excitandum Sacerdotis devotionem , dum ad Missam celebrandam accedit ?

Resp. Debet principaliter attentè considerare dignitatem Mysterii quod ministerio suo confici debet ; Et quia , ut ait Divus Antoni-

S. Ant. 3. „ nus , meditatio Passionis Christi multum est p. tit. 13. § „ induciva devotionis super alia : Unde Bernar-  
98. dus , Super omnia te mihi reddit amabilem , ô bone Jesu ! Calix quem bibisti , opus redemp-  
„ tionis nostræ , hoc & devotionem nostram fa-  
„ cilius allicit , dulcius urit , & fortius stringit.

*De Sacrificio Missæ. Cap. II. 239*

Ideo accedenti ad Communione multum  
congruit ipsam meditari.

Hujus rationem affert S. Augustinus relatus  
in Can. his verbis : *Quia morte Domini liberati sumus, hujus rei memores in edendo & potando Carnem & sanguinem debemus esse.*  
Et ita Sacerdos debet vestimentis Sacerdotalibus supervestiri cum eisdem dispositionibus,  
ac si ad Calvarium ascenderet, cum Deo offerre debeat idem Sacrificium, quod Dominus noster Jesus-Christus in Cruce obulit & quod de novo offert manibus Sacerdotum modo incruento.

*Quanta cura adhibenda sit, ait Concilium Tridentinum, ut sacro-sanctum Missæ Sacrificium omni Religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facilè existimare poterit qui cogitarit maledictum in facris Litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter: quod si necessariò fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum à Christi Fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidianè immolatur; satis etiam appareat, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.*

*Quast. 12. Quasham alias dispositiones afferre debet Sacerdos priusquam celebret?*

*Resp. Ut ait S. Carolus: Sacerdotes antequam celebrent, se colligant, & orantes mentem in tanti Ministerii cogitatione desigant. Antequam ad Altare accedant, Missam perlegant, & singulas partes ita præparatas & notatas habeant, ut celebrantes neque errent, neque hæreant.*

Can. *Quia morte. De Consecr. dist. 2.*

*Conc. Trident. sess.*

*22. De Sa-*

*crif. Mis-*

*sæ, Decre-*

*to de ob-*

*servat. in |*

*celeb. Mis-*

*sæ,*

*"*

*"*

*"*

*"*

*"*

*"*

*"*

*"*

*"*

*"*

*"*

## 240 TRACTATUS V.

„ Sacris vestibus induiti cum nemine collo-  
 „ quantur , neque loquentibus dent aures : men-  
 „ temque & oculos ab omnibus amoveant , qui-  
 „ bus distrahi possint : Neque à Sacrificia exeant,  
 „ nisi cùm ad Altare eundum erit , quòd tunc  
 „ graviter & modestè fiat. In Altari ne in mora  
 „ sint Sacrificio cuijutvis expectandi gratiâ ; ne-  
 „ ve ob eandem causam Missâ inchoatâ sub-  
 „ sistant , aut ejus initium reperant. Neve si Pa-  
 „ rochi sint , cuju' quam gratiâ tunc Missam an-  
 „ ticipent , aut differant : sed illam eâ potissi-  
 „ mûm horâ celebrent , quæ populo magis ac-  
 „ commodata sit ; neve concionem , quam in ea  
 „ habere debent , ullo modo omittant.

Diligenter advertere debent Sacerdotes ut  
 Rubricas Missalis , & ceremonias Missæ exac-  
 tè observent ; sed in primis ut illud Mysterium  
 cum tanta exterioris devotionis ac pietatis spe-  
 cie peragant , ut adstantes eorum exemplo ad  
 pietatem excitentur ; nam , ut ait Cardinalis

Card. Bel- „ Bellarminus : *Aliud est etiam lacrymis uberri-*  
 larm. lib. 2. „ *mis dignum , quod ob nonnullorum Sacerdo-*  
*De Gemini* „ *tum incuriam , aut impietatem , Sacro sancta*  
*Columbae* „ *Mysteria tam indecorè tractentur , ut qui illa*  
 cap. 5. „ *tractant , videantur non credere Majestatem*  
*Domini esse præsentem. Sic enim aliqui sine*  
*spiritu , sine affectu , sine timore , & tremo-*  
*re , festinatione incredibili sacrum perficiunt,*  
*quasi Fide Christum Dominum non viderent,*  
*aut ab eo se videri non crederent.*



## CAPUT III.